




KNY-18-
00260



Ouid. de Ponto Lib. IV. Eleg. 4.

Curia TE excipiet , Patresque ex more vocati ,
Intendent aures , ad TUA verba , suas.



langite tristisona ; nam fas est ; voce , Sorores ;
Frigida Carpathici , quas fovet umbra jugi .
Plangite , demiso , dissolvite , crine , coronas ;
Squallenti nitidum cingite veste caput .
Uta , nimis querulo , resonent penetralia luctu ;
Humeget dociles , pendula gutta ! genas .
Funde , cohors ! pauidas , gemitu repetente , querelas :
Justa , reor , justi , causa , doloris , adest .
Nam vigil , ecce , tuis subito removetur ab aris ,
Jam sustenturus grande , Minister , onus ;
Qui pia , vivacis Doctrinæ , thura serebat ,
Ingenuaque tuos nutriit arte focos ;
Qui dapibus patulas saturare salubribus aures ,
Noverat , & placido , pellere , fonte , sitim ;
Præsidium Musis , Juvenum solamen amorque ,
Quis neget ? erectæ , firma columnæ , Scholæ ;
Virtutumque decus , studiorum Doctor ; at hostis ,
Hic Vir , desidiaz semper acerbus erat .
Affiduus Libris calamo bene promptus & ore ,
Consiliis felix , judicioque gravis .
Euge , age , quisque tuo minimum nec parce dolori ;
Det gemini , moestas , luminis , imber aquas .
Illacrimata , tenax , vultum , fortuna retorsit ,
O vos ! quos studiis Tatrea Pallas alit .

Non T

Non secus, ac tristi, moriturus, membra sepulchro
Conderet; & summum clauderet, orbe, diem.
Perdimus ante diem lumen; quis credere posset?
Non splendor, qui sic lucea, alter erit:
Proque Viro spatium, quod inane relinquitur adi,
Quam misere nobis, turba ricta, manet.
Lugemus, trepidus grex ut, pastore remoto,
Eiulat; in dubiis expatiatus agri:
Utque solent apium, subrepto, etamina, rege,
Murmure, moerorem significare suo.
Invida, cur raperis, praestans, per fatum, Magister?
Invida, praestanti, parcite fata, Viro.
Si potes; oramus, tristes gemitante pupilli,
Pectore; propositæ, contrahe rela, viæ.
Sin minus; ad claram TECum properabimus Vibem,
Atque Ducas comites dulce sequemur iter.
Nos trahit, Hungarica confinia capere Terræ,
Nil, nisi præclaræ cognitionis amor.
Quanta TIBI varij subdit prudentia juris,
Testatur proprio terra Poloni mala.
Vivida, tradebas plenis, documentis, libellis;
Sponteque mellifluas, lingua trebat opes.
Innumeræ gentes, calamo felice, nacti;
Quas tenuere plagas, quod coluere solum!
Scis bene, diversa sparsos Regione, Monarchas;
Quis quales hosti jecerit ense minas.
Pannonis in primis Regni cum cade, triumphes
Edideras; facilis, singula rite, Manu.
Reges cum natib; natorum facta, Nepotes;
Et, quorum seriem, longa, referre, mora est.
Ait, cur nos questi, laudes cumulamus opimas?
Cum TUA terrestri laus super axe micet.
Sydera celsa poli, flauentes messis aristæ,
Æquantur meritis, gloria nostra, TUIS.
Siccine TE virtus rursum, non copia rerum,
Ad celebrem revocat, Pisonis arna, locum?
Hac duce, pro gelidis, placidas lucraberis auras;
Proque Scholæ iudo, Curia iudus erit.
Ista, Senatoris titulo, cum munere, fungi,
Quo merito fueras dignus honore, jubet.
Sentiet Hungaricus, quantum profeceris, orbis,
Artibus; & quantus subdit in ore vigor.

Po.

Popradus ablato fletit; gratabitur Ister:
Heu! novus Austriacæ navita puppis eris.
Cur tamen hæc querimur? luctu geminare dolores,
Quid juvat, & raptum jam retinere Virum?
Numinis adspirans, hæc est, ad fata, voluntas:
Quis poterit Magni flectere iussa DEI?
Jam superest, Socii! qui Jetibus ora rigamus;
Detur ut emerito gratia digna Patri.
Pectora si centum, totidem si gutture linguas;
Eloquii munus quisquis haberet idem:
Pectore, nec lingua, dignas persolvere grates
Posset, & officio præmia ferre gravi.
Proh dolor! ah nimium miseri, debere fateur
Nos TIBI; non ullo, Vir revocande! die.
Lacryma, pro vigili, meritum sit, fusa, labore;
Sitque TUI noster, pignus amoris, amor.
Vive diu celeber, toti bene cognitus orbi;
Parca trahat vitæ, stamina longa, TUAE.
TE DEUS incolumem latos conservet in Annos:
Fortia sublimis qui capis arma Fori.
Verum cum venient longæ TIBI tædia Vitæ,
Gratior & multo Mortis imago foret:
Monte vehare pia, superas, pacatus, in arcæ;
Altaque, syderei, scandito Regna, Poli.
Anxia jam trepidi singultus ora fatigant,
Nec poterit plures lingua movere sonos.
Vade, precanur, ovans, nobis lacrimande Viator!
Quo TE felicem fata serena vocant.
I, Decus, i, patrii spes o firmissima Regni;
I, memor, i nostri, tempus in omne, Chori.



PIETATIS SUPREMÆ
MONUMENTUM,

QUOD
MAGNO, ORBIS ERUDITI, ORNAMENTO,
VIRO CELEBERRIMO,

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,
DOMINO

JOSEPHO BENTZUR,

SCHOLÆ EVANGELICÆ KESMARKIENSIS
RECTORI HUCDUM MERITISSMO, DOCTORIQUE
CELEBERRIMO; JAM VERO,
EX PALÆSTRA HAC LITTERARIA,

AD CURIAM POSONIENSEM
MIGRANTI,

TRISTES MOESTIQUE POSUERUNT,

CULTORESQUE EJUS PERPETUI:

ALEXANDER PRONAY, MARTINUS STURMAN,
EMERICUS PLATHY, DANIEL CORNIDES;

VOLUNTATUM INTERPRETE,

JOANNE SCHULEK,
COMMUNI OMNIUM NOMINE VOVENTE:

CARPATHA, FESTINANS VT, BENTZVR! TECTA, RELINQVES;
PERGE, FRECOR, PLACIDIS, AD LOCA PACTA, VIIIS.



E PERIESSINI,
• TYPIS FERDINANDI JOANNIS REDLITZ.